



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Qvæst. I. De conceptu præciso ipsius entis in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

gnoscant rationes communes entis & essentia, quas tradit Metaphysica. Imò & illa demonstrat propria principia reliquarum scientiarum, per deductionem ad impossibile, utendo scilicet principiis vniuersalissimis, quæ sunt Metaphysicæ propria; vt, *Quodlibet est, aut non est*, &c. Sine Metaphysica igitur aliæ scientiæ vix scientiæ sunt, vel certè sunt imperfectæ, pluribusque erroribus obnoxia. Facem enim illis omnibus præfert, dirigitque gressus earum, vt sine offendiculo attingant sua obiecta.

Non cognoscit obiecta eorum propria.

Secunda pars, proprias scilicet rationes obiectorum aliarum scientiarum primò & per se non cognosci à Metaphysica, euident est; quia sic Metaphysica egredietur extra fines obiecti sui: tradit ergo dumtaxat principia generalia, & rationes vniuersales, quibus obiecta illa probari possint à posteriori per propriam scientiam, vnde.

Aliæ scientiæ non illi subalternantur.

Tertia pars negat alias omnes scientias subalternatas esse Metaphysicæ; quia scientia subalternata & subalternans, vt dixi, habent idem obiectum, aliqua dumtaxat affectum differentiæ accidentali: sed obiecta scientiarum omnino differunt ab obiecto Metaphysicæ: ergo illæ non sunt subalternatæ scientiæ Metaphysicæ.

Proprietates Metaphysicæ.

Dico secundò, Metaphysicam esse veram & perfectissimam scientiam, imò & esse propriè sapientiam, esse purè speculatiuam, & omnino vnā.

Est scientia.

Primò scientia est superans alias omnes scientias euidentia, certitudine, necessitate; habet enim demonstrationes infallibiles, principia vniuersalissima, & per se nota, obiectum necessarium & nullo modo contingens: ergo illa maximè omnium est scientia, quæ quia per primas & altissimas causas cognoscit obiectum suum, vocatur meritò sapientia. Est etiam purè speculatiua, quia obiectum eius non est aliquid operabile, sed in eius sola cognitione sistit hæc scientia.

Est omnino vna.

Secundò vnica tantum est hæc scientia, cuius pars vna est Theologia naturalis; quod perperam video negari à nonnullis Recentioribus. Ratio est, quia illa est vnica scientia totalis, cuius omnes habitus subordinantur eidem obiecto formali adæquato: sed omnes habitus Metaphysicæ subordinantur eidem obiecto formali, quod est ens vt ens: ergo vna tantum est scientia totalis Metaphysicæ. Deinde non cognoscimus Deum & Angelos, nisi per res materiales: ergo non potest dari vlla scientia naturalis, quæ ita de Deo agat, vt non etiam tradat aliquid commune rebus materialibus: ergo Theologia naturalis, quæ considerat puros spiritus, non est scientia totalis. Et hæc est ratio propter quam datur scientia vna Physica, quæ agit de corporibus; non datur vlla, quæ solos spiritus consideret. Denique Physica, quæ agit de corpore in communi, descendit etiam ad rationes inferiores corporum, quantum patitur abstractio eius propria: ergo Metaphysica, quæ agit de ente in communi, descendit ad rationes entis particulares contentas intra abstractionem ab omni materia. Deus autem & Angeli continentur in illa abstractione: ergo Metaphysica, quæ considerat ens in communi, considerat etiam Deum & Angelos.

DISPUTATIO II.

De generalissimo conceptu entis, & essentia realis.



VANDOQVIDEM igitur obiectum, cuius cognitionem Metaphysica intendit, est ipsum ens intra solam abstractionem ab omni materia, necesse omnino est, vt ante omnia generalissimum proponat conceptum & quidditatem entis realis; ex quo conceptu fluunt omnes eius proprietates. Eius autem explicatio duo exigit: primò quænam sit propria quidditas & conceptus præcisus entis realis: secundò, quia enti affines omnino sunt essentia, existentia, & possibilitas, videndum quid illæ sint, & quæ sit propria earum ratio.

QVÆSTIO I.

De conceptu præciso ipsius entis in genere.

PRæscindit, vt dixi, ab omni materia, etiam intelligibili, scientia Metaphysica; vnde primum omnium ingenia hominum instituit ad abstractiones, docetque separare res inuicem coniunctissimas, & quas nullus gladius possit scindere; intellectu diuidit, secar cognoscendo. Quod ad rerum essentias indagandas omnino est necessarium. Primum igitur disputo de ipsa præcisione, vtrum videlicet detur præcisio illa, quæ dicitur obiectiua, an verò illa figmentum sit, & omnino à scientiis ableganda. Secundò, an detur conceptus aliquis communis entis & essentia omnino vnus, & obiectiue præcisus ab inferioribus differentis, & qualis ille sit. Tertiò quomodo ille conceptus contrahatur ab inferioribus: quartò, an sit vnus, an verò æquiuocus, aut analogus.

SECTIO I.

An sint præcisiones aliquæ obiectiue.

Vix in quæstionem venire solebat hæc difficultas, à nouis quibusdam excogitata Philosophis, vel potius à sepultis Nominalium cineribus excitata tanto cum sonitu, vt in mera controverfia de nomine scholam vniuersam diuiserint in factiones. Altera præcisiones obiectiue damnant vt monstra, & spectra veteris Philosophiæ. Altera tam certò illas asserente, quàm certum esse intellectum in homine. Vt autem certò diuicari possit, quàm leuis, & inanis sit noua hæc secta negantium præcisiones, quàm verò solide illas verus asseruerit Philosophia, proponam vtriusque sententiæ verum sensum, quo perspecto, concide omnino tota quæstio, & nouum commentum moneat damnatum.

Certum est igitur primò, eos qui negant præcisiones has obiectiue, sic statuere. Præcisio, inquit, quæ cogitatio est rei vnus sine alia reali ter coniuncta, imò identificata, est duplex; altera obiectiua, seu ex parte obiecti; altera formalis, seu ex parte modi cognoscendi. Præcisio obiectiua est, quæ sic cognoscitur formalitas vna obiecti, vt

non cognoscatur vilo modo altera formalitas obiecti eiusdem, licet realiter identificata cum altera illa formalitate; vt si dicam animalitatem, neque dicam vilo modo rationalitatem: vnde isti Auctores fingunt coincidere omnino sententiam istam præcipientium cum sententia Scoti, quæ ponit inter Dei attributa, & inter gradus metaphysicos distinctionem formalem ex natura rei, quæ præcedit omnem cogitationem intellectus; & tamen non vocatur realis, quia non est inter duas entitates, sed inter duas formalitates verè distinctas à parte rei, & plures sine adminiculo intellectus cogitantis. Præcisionem formalem vocant, quæ totum obiectum, & omnes eius formalitates verè ac immediatè cognoscuntur, sed ad eò confusè, vt sibi videatur intellectus cognoscere vnam tantum formalitatem, & perinde se habeat ac si vnam tantum cognosceret. Id est, præcisio formalis est, quæ totum obiectum cognoscitur, & omnes eius formalitates; sed in ordine ad certas operationes, non autem in ordine ad alias: v. g. visio coloris albi è longinquo interdum ita confusa est, vt discernere possim esse colorem, non autem qualis color sit. Tunc formaliter præcindo, quia licet totum videam obiectum, ita tamen illud confusè video, vt perinde me habeam ac si attingerem vnam dumtaxat formalitatem. Sic, inquit, cum dico animal, verè ac immediatè cognosco rationale, hominem, Petrum, &c. sed ad eò confusè, vt mihi solum videatur apparere animal, non autem rationale; quia licet totum reuera cognoscam Petrum, non cognosco tamen illum, nisi in ordine ad operationes sensitiuas, non autem in ordine ad discursum; idcirco illa est præcisio formalis, tota se tenens ex parte cognitionis, non autem ex parte obiecti.

Sententia
quæ admittit
præcisiones obiectiuas.

Certum est secundò, veterem, communem, & veram esse sententiam, quæ constanter docet, intellectum habere vim præcipienti res inseparabiles, & distinguendi per cogitationem res inter se realiter identificatas. Primò proficitur damnandam omnino esse Scotticam illam distinctionem formalem ex natura rei ante omnem operationem intellectus; præcisionem enim obiectiuam non esse aliud quam puram distinctionem rationis; & præcindi obiectiuè, solum esse distinguere per rationem. Formalitates enim illas esse realiter vnam rem, & ante operationem intellectus nullo modo distinguere actualiter, sed fundamentaliter tantum, quatenus æquualet pluribus, & sic præbet intellectui occasionem & fundamentum cogitandi vnam rationem alterà non cogitatà, id est habendi plures cognitiones inadæquatas, quarum vna vnam tantum attingat perfectionem obiecti, alteram verò non attingat formaliter. Præcisio igitur obiectiuæ, & distinctio rationis, synonyma sunt. Secundò asserit hæc sententia, posse quidem intellectum præcindere, id est cogitare vnam formalitatem obiecti, non cogitatà formaliter alterà identificatà, sed implicare omnino, vt non cogitet illam, identicè saltem & materialiter: v. g. cum dico animal, non attingo formaliter rationale; sed identicè tantum, & materialiter; id est attingo rem, quæ realiter est rationale; quamvis non attingam eam formaliter, vt est rationale.

Itaque præcindere obiectiuè, est distinguere per rationem vnam perfectionem obiecti, ab alia eiusdem obiecti perfectione realiter identificata cum illa; seu est cogitare aliquam perfectionem obiecti, alterà non cogitatà formaliter, sed identicè dumtaxat, & materialiter.

A Ratio ergo dubitandi primò est, quia non possunt dari præcisiones obiectiuæ inter perfectiones eiusdem obiecti omnino indistinctas, si non sint in obiecto indiuisibili plures formalitates respondentes cognitionibus, sed tota pluralitas sit in cognitione, non autem in obiecto: sed quoties intellectus præcindit, & distinguit vnum ab alio, tota pluralitas est in cognitione, non autem in obiecto: ergo inter perfectiones indistinctas obiecti non datur præcisio obiectiuæ, sed formalis tantum. Deinde antequam cognoscam animal, illud ex parte sui non habet aliquid, per quod differat à rationali: ergo cognitio non attingit illud vt distinctum, cum in se non sit aliud à rationali. Denique quando aliqua cognitio nihil fingit, si non sit in rebus diuersitas, non potest deprehendere in illis diuersitatem: sed in re simplici nulla est diuersitas: ergo cognitio, quæ nihil fingit, non potest in re simplici deprehendere vllam diuersitatem: ergo non possunt esse in re simplici plures formalitates obiectiuæ. Imò, quando aliquid est indistinctum intrinsecè, non potest distinguere per aliquid extrinsecum.

Prima dubitatio.

Secundò cognosci & non cognosci, non sunt minus contradictoria, quam produci & non produci: sed implicat produci animalitatem hominis, & non produci eius rationalitatem: ergo implicat cognosci animalitatem hominis, & non cognosci eius rationalitatem. Probat maior. Ideo produci & non produci opponuntur contradictoriè, quia particula, non, cadens supra verbum produci, negat idem quod fuerat affirmatum per idem verbum produci: sed particula, non, cadens supra verbum, cognosci, negat eodem modo quod fuerat affirmatum per verbum, cognosci: ergo implicat eodem modo aliquid cognosci, & non cognosci, quo implicat aliquid produci & non produci. Neque dicas cognosci realiter & identicè animalitatem cognita rationalitate, non cognosci formaliter; nam cognosci formaliter, & non cognosci formaliter, tam sunt contradictoria, quam cognosci & non cognosci absolute; quando enim negatio cadit supra modum, tam facit contradictoriam propositionem de modo, quam si esset propositio simplex.

Secunda.

Tertiò illa distinguuntur realiter, quorum vni realiter conuenit vnum prædicatum, quod non conuenit alteri: sed animalitati v. g. conuenit vnum prædicatum, quod non conuenit rationalitati; imò vnius contradictorium conuenit alteri; nam cognosci formalitatem, est vnum prædicatum, quod non conuenit rationalitati, & conuenit animalitati, quam præcindo: ergo illa obiecta sunt distincta. Imò illa distinguuntur, quorum vnum existit altero non existente: sed illa formalitas animalis existit non existente formalitate rationalis: ergo ab ea distinguitur realiter.

Tertia.

Quartò in eodem obiecto, v. g. in intellectu, sunt infinites infinitæ formalitates; nam intellectus prout cognoscere potest Petrum, habet formalitatem diuersam ab ipso intellectu prout cognoscere potest Paulum, & prout intelligere potest Ioannem: illæ sunt infinitæ, neque distinguuntur dumtaxat secundum id quod dicunt in obliquo; nam rectum etiam vnius formalitatis differt formaliter à recto alterius formalitatis.

Quarta.

Quintò addi possunt multa quæ pertinent ad rationem vniuersalis, quod dicitur abstrahi à singularibus: sed de his dicitur disp. 3. vbi dicam de vnitæ vniuersali.

Quinta.

Dicendum

Assertio af-
firmans.

Dicendum tamen est, videri omnino certum, quod dantur præcisiones obiectivæ, per quas intellectus cognoscit formaliter unam perfectionem obiecti, non cognita formaliter altera realiter illi coniuncta & identificata. Ita sæpe in Theologia probavi cum communi sententia, contra veteres, & novos Nominales, qui perperam novum hoc dogma in Philosophiam inuexere. Mihi sanè adeò perspecta res videtur, ut vix egeat probatione; quid enim notius est, quam dari distinctionem rationis inter ea quæ realiter sunt unum.

Prima probatio.

Primo enim sic arguo. Dari præcisiones obiectivas, seu distinctionem rationis, nihil aliud est, quam posse aliquid ita inadæquatè concipi, ut cognoscatur una eius perfectio, quin concipiantur aliæ, prout formaliter sunt tales: sed tum in divinis, tum in creatis potest res una ita inadæquatè concipi, ut cognoscantur aliquæ illius formalitates, aliis non conceptis, quæ sunt cum illa identificata: ergo dantur præcisiones obiectivæ. Probatur minor. Tunc non cognoscitur aliqua perfectio, quatenus est talis formaliter, quando vi talis cognitionis aequè ignoratur secundum propriam definitionem, ac si esset impossibilis: sed qui cognoscit animal, tam ignorat rationale secundum propriam definitionem, ac si esset impossibilis; qui cognoscit unum Dei decretum, tam alia ignorat ac si non essent: ergo, &c. Confirmatur clarissimè. Cognito genere vel cognoscuntur actu omnes differentiæ secundum propriam rationem, & omnia individua; vel non cognoscuntur. Si primum: ergo simul intellectus cognoscit formaliter infinita. Si secundum: ergo præscindit genus à differentiis. Neque dicas: Cognoscit differentias & individua, secundum id quod dicunt in recto, non secundum id quod dicunt in obliquo. Contra enim insto. Cognoscere secundum id quod dicunt in recto, vel est cognoscere secundum propriam essentiam & definitionem, vel est cognoscere dumtaxat secundum rationem communem. Si primum: ergo cognoscuntur infinite differentiæ secundum proprias definitiones. Si secundum: ergo genus præscinditur à differentiis. Denique id ostendo. Tunc cognito uno non cognoscitur aliud, si negari potest: sed cognita una perfectione obiecti, alia negari potest; v.g. negari potest animæ immortalitas affirmata ratione intellectui: ergo, &c. Imò cum cogito animal, vel cogito rationalitatem; & sic non possum attribuire illam bruto; vel cogito irrationalitatem; & sic non possum attribuire illam homini; vel cogito utramque, & sic neutri possum tribuire; vel neutram cogito, & sic obiectivè præscindo.

Secunda probatio.

Secundò: Illa ratione distinguuntur & præscinduntur obiectivè, de quibus simul & semel verificari possunt contradictoriæ propositiones: sed de attributis in eadem re omnino identificatis verificantur contradictoria in eadem re; v.g. in Deo verè dicitur, *Filiatio generatur, non generatur essentia: Deus non amat Petrum quatenus odit Ioan-nem*. Similiter in creatis homo non videt, quatenus est volitivus; non vegetatur, quatenus est discursivus; nec est sensitivus, quatenus est intellectivus; non convenit cum brutis, quatenus est sensitivus; non convenit, quatenus rationalis: rationale est de definitione hominis, de qua non est risibile: ergo illæ perfectiones inuicem præscinduntur.

Tertia probatio.

Tertiò, quotiescumque res aliqua ita est virtualiter multiplex, ut reuerà pluribus æquivalcat, to-

ties potest inadæquatè concipi: sed in homine v.g. sunt perfectiones ita virtualiter multiplices, ut reuerà pluribus æquivalcant: ergo potest homo inadæquatè concipi, & præscindi una eius perfectio ab altera. Probatur maior. Illud concipi potest inadæquatè, quod concipi potest prout æquivalcat uni, quin concipiatur quatenus æquivalcat alteri: sed quod virtualiter multiplex est, concipi potest prout æquivalcat uni, quin concipiatur prout æquivalcat alteri; possum enim dicere, *Homo tam est sensitivus quam brutum*: tunc de homine nihil affirmo præter sensitivum: ergo tunc concipio inadæquatè hominem. Similiter cum dico, *Equus & homo sunt sensitivi*; tunc de homine nihil affirmo, nisi sensitivum: ergo de homine nihil affirmo nisi sensitivum. Sint duæ cognitiones, una de Petro, altera de Petro & Paulo: dicere possum, *Viraque ista cognitio est de Petro*: tunc non dicam de secunda cognitione quod tendat ad Paulum: ergo inadæquatè concipio secundam cognitionem.

Quartò tunc unum præscindi potest ab alio, quando potest definiri, altero non definito: sed potest definire animal, non definito rationali: ergo possum cogitare animal, non cogitando rationali, seu præscindere. Maior certa est, quia non possum unum præscindere, quin illud cogitem: si ergo unum tantum definio, unum tantum cogito. Similiter illud quod ingreditur alicuius rei definitionem, differt conceptu ab eo quod illam non ingreditur: sed rationale ingreditur definitionem hominis, quam risibile non ingreditur: ergo rationale & risibile differunt conceptu. Et ut tollatur omnis æquivocatio, & penitus obstruatur os aduersariorum, sic arguo. Præscindere obiectivè, seu distinguere per conceptum animal à rationali, est cogitare formaliter animalitatem non cogitando formaliter rationalitatem, sed identicè tantum & materialiter: sed possum cogitare formaliter animal, non cogitando rationalitatem formaliter; quod probo ad hominem ex ipsa doctrina novorum Nominalium. Possum cogitare hominem in ordine ad operationes sensitivas, non cogitando illum in ordine ad discursus: sed hoc est cogitare formaliter animal non cogitando formaliter rationale; nam implicat cogitare animal formaliter, quin cogitetur in ordine ad operationes sensitivas; nec rationale formaliter sine ordine ad operationes discursivas: nam cogitare formaliter est cogitare ipsius essentiam: sed essentia & definitio rationalitatis est ordo ad operationes discursivas, cum definiri non possit sine illis: ergo manifestum est, quod possum cogitare formaliter animal, non cogitando formaliter rationali. Unde ergo aduersarij quando respondent, posse cogitari animal non cogitando rationali, secundum id quod dicit in obliquo, non secundum id quod dicit in recto; nam rationale formaliter non dicit solum rectum, sed dicit etiam obliquum. Melius ergo dicent, cognosci animal non cognito rationali formaliter; sed non cognosci, quin identicè cognoscatur rationale: quod est dari præcisiones obiectivas.

Quintò argumentari licet ex vniuersalibus naturis, quas nullas hæc sententia dari asserit, sed vniuersale vult non esse nisi voces & conceptus; quod repugnat Aristoteli & S. Thomæ, ut probabo di/p. 3.

Ad primam respondeo, distinctionem rationis & præcisionem, esse in obiecto fundamentaliter, &

Quaest. I. Sect. I. Praecisiones obiectiuæ. 623

& extrinsecè per denominationem à cognitione; sic enim ipsum obiectum verè denominatur distinctum & praecisum, sed extrinsecè tantum. Sicut esse visum, & esse cognitum sunt denominationes à visione & cognitione; par enim est ratio. Et sanè probari eodem posset argumento, quod nulla datur visio obiectiuæ, id est quod nihil dici potest visum, quia visio non est in obiecto. Ad formam itaque argumenti distinguo maiorem; si non sint in obiecto indiuisibiles plures formalitates fundamentaliter & extrinsecè, concedo; si non sint realiter & intrinsecè, nego. Similiter antequam cognoscant animal, illud ex parte sui habet fundamentaliter aliquid, per quod differat à rationali; non habet aliquid, per quod differat realiter; nam etiam si vna sit res, praebet tamen fundamentum intellectui, ut illud cogitet sine rationali, quia aequiualeat pluribus. Denique quando cognitio nihil fingit, si non sit in rebus diuersitas, saltem fundamentalis & virtualis, non potest cognitio deprehendere in illis diuersitatem. In obiecto autem simplici est diuersitas illa fundamentalis, quæ sufficit ut intellectus concipiat vnum ac si differret ab alio, non deprehendendo in eo diuersitatem priorem cognitione, sed inducendo diuersitatem extrinsecam eo ipso, quod cognoscit inadæquatè. Quando aliquid est indistinctum intrinsecè, potest extrinsecè distingui per aliquid extrinsecum.

Solutio secundæ.

Ad secundam respondeo negando primam maiorem, cognosci, & non cognosci, non sunt minus contradictoria, quam produci & non produci. Ad probationem negat hanc minor: sed particula, non, cadens supra verbum *cognosci*, negat eodem modo quo cadens supra verbum *produci*. Nam cadens supra verbum *produci*, negat eadem totam entitatem, quam affirmabat verbum *produci*. At verò cadens supra verbum *cognosci*, negat tantum eandem formalitatem, quam affirmabat verbum *cognosci*. Disparitas ergo est, quia produci terminatur ad entitatem rei prout est in se; cognosci autem terminatur ad formalitatem dumtaxat. In eo videlicet differunt potentia productiuæ, & cognoscitiuæ, quòd illa terminetur ad entitatem ut est in se, ista verò terminari possit ad entitatem sub aliqua tantum formalitate; obiectum enim est multiplex fundamentaliter in ordine ad potentiam cognoscentem, non in ordine ad potentiam producentem. Ex quo etiam soluitur argumentum illud theologicum, quod in creatis inducitur mysterium Trinitatis, in quo producitur personalitas, non producitur essentia. Est enim manifesta disparitas, cum in Deo pluralitas virtualis sit in ordine ad potentiam productiuam, & cognoscentem; in creatis sit tantum in ordine ad potentiam cognoscentem. Vltima probatio nulla est, quia cognosci formaliter, & non cognosci formaliter, non sunt contradictoria, quando respiciunt formalitates diuersas; negatio enim cadens supra modum, facit contradictoriam propositionem de modo, quando cadit supra eandem formalitatem, non autem quando cadit supra diuersam.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam respondeo distinguendo hanc maiorem: illa distinguuntur realiter, quorum vni realiter conuenit vnum praedicatum intrinsecum, quod non conuenit alteri, concedo; vnum praedicatum extrinsecum, nego. Nam ad hoc ut praedicatum aliquod extrinsecum in ordine ad extrinsecum connotatum, conueniat vni, & non alteri, sufficit distinctio fundamentalis & virtualis. Simi-

liter illa distinguuntur realiter, quorum vnum existit, altero non existente, secundum ea saltem, quæ dicit in recto, concedo; altero non existente, secundum ea, quæ dicit in obliquo, nego. Quando existit formalitas animalis, existit etiam formalitas rationalis, secundum ea quæ dicit in recto, non secundum ea quæ dicit in obliquo. Distinguitur ergo ut formalitas est secundum ea quæ dicit in obliquo, non secundum ea, quæ dicit in recto; ideò non distinguitur realiter, sed ratione.

Ad quartam respondeo, formalitates obiectiuas esse infinitas extrinsecè, ac potentiâ, quatenus

Solutio quartæ.

possumt denominari diuersæ à diuersis cognitionibus possibilibus: sed quia illæ cognitiones nunquam sunt actu infinitæ, ideò nunquam istæ formalitates simul sunt actu infinitæ. Imò cum istæ formalitates non differant rectis, nisi per ordinem ad diuersa obliqua; ideò sunt infinitæ dumtaxat secundum id quod dicunt in obliquo. Reliqua de vniuersalibus peti possunt ex 3. *disp.* vel etiam ex Theologia, vbi plenè dixi ea de re; quæ tamen magis est philosophica.

SECTIO II.

Vtrum detur vnus conceptus entis praecisus ab inferioribus, & qualis ille sit.

Dixi, posse vnam rationem superiorem praescindi ab altera minus communi: nunc quaestio est de ratione communi entis, vtrum possit cogitari sine differentiis, per quas contrahitur, & sic formari conceptus vnus obiectiuus, qui nihil representet praeter communem rationem sine vlla differentia inferiore.

Certum est autem primò, conceptum alium vocari formalem, alium obiectiuum. Formalis est ipsa

Conceptus formalis.

mentis actio, quæ res apprehenditur, vel certè verbum mentis expressum tali actione, ipsiusque rei representatiuum. Conceptus autem obiectiuus est ipsa res, seu ratio per intellectum apprehensa, quatenus apprehenditur; sicque ratio conceptus intrinsecè conuenit conceptui formali; conceptui autem obiectiuo per denominationem extrinsecam.

Cum ergo quaeritur, an detur vnus conceptus entis, sensus primò est, an detur vnus conceptus formalis entis, id est, vtrum audito nomine entis, exprimitur aliquis conceptus formalis, cui obiectiuè respondeat sola ratio entis absque alia ratione vlla inferiori. Secundò, an detur vnus conceptus obiectiuus, id est, vtrum significatum huius nominis *ens*, sit aliquid vnum, quod ut sic nullo modo importet significatum rationum inferiorum; sicut animal dicitur habere vnum conceptum obiectiuum, id est significatum huius nominis *animal*, est vnum, quod nullo modo importat significatum rationalis, aut irrationalis.

Certum est secundò, tripliciter diuisos esse auctores circa significatum nominis illius, *ens*. Primò enim Rabbi quidam Moyses apud S. Thom. 9.7. de

Triplex sententia.

potentia, art. 8. censet *ens* respectu Dei & creaturæ prorsus æquiuocum esse, ita ut supra Deum & creaturas non sit quaerendus vllus conceptus vtrique communis, significatus nomine entis; imò neque vlla sit analogia, vel similitudo inter ea, de quibus *ens* praedicatur. Secundò Thomistarum communis sententia est, quos sequuntur etiam Vasquez 1. *part. disp.* 22. c. 2. & *disp.* 114. c. 2. Fonseca 4. *Metaph.* c. 2. q. 2. nullum dari conceptum entis praecisum ab inferioribus: sed non conueniunt tamen circa significatum immediatum huius nominis *ens*; alij enim aliter

aliter explicant, quos referre piget. Tertio Scotus cum Scotistis omnibus, quos sequuntur Suarez *disp. 2. sect. 2.* & ferè omnes Recentiores, ponunt conceptum vnum entis præcisum ab aliis omnibus differentiis; ita ut audito nomine entis, intellectus vnicum exprimat conceptum formalem, cui respondeat distinctè ac expressè vnica ratio entis, quæ nullas formaliter includat rationes inferiores. Quod ego etiam verissimum esse iudico.

Prima dubitatio.

Ratio tamen dubitandi primò est, quia illud non præscinditur ab inferioribus, quod illa semper includit: sed conceptus entis includit omnes rationes inferiores; includit enim totum, quod est formaliter ens: nulla verò est ratio inferior, quæ non includatur formaliter in conceptu communi entis.

Secunda.

Secundò: Implicat aliquid præscindi ab alio, & tamen manere semper illi coniunctum; quod enim præscinditur, separatur: sed ratio entis ita imbibitur in differentiis inferioribus ipsius entis, ut semper maneat illi coniuncta; præcisa enim ipsa ratione entis, id quod manet, necessariò est ens: ergo ratio entis non potest præscindi ab inferioribus.

Tertia.

Tertio: Ens est analogum ad sua inferiora: sed analogia non habent vnum conceptum præcisum ab omnibus analogatis: ergo ens non habet huiusmodi conceptum præcisum.

Quarta.

Quartò sapientia v. g. non potest præscindi à creata & increata: ergo etiam ens non potest præscindi à creato, & increato. Antecedens probatur primò. Sapientia communis & abstracta, vel realiter distinguitur à iustitia, vel ratione tantum. Si primum: ergo non conuenit sapientiæ increatæ. Si secundum: ergo non conuenit sapientiæ creatæ. Deinde prius ens diuiditur in creatum & increatum, quàm diuidatur in sapientiam: ergo sapientia intelligi non potest, quin intelligatur creata, vel increata; nam ratio inferior necessariò includit rationem superiorem.

Vnitatis conceptus formalis.

Dico primò, conceptum formalem proprium entis ut sic, esse vnum re & ratione, præcisum ab aliis conceptibus formalibus aliorum obiectorum.

Probatio.

Ratio est, quia vox ista, *ens*, vna est, & significat vnicam rationem communem, in qua conueniunt omnia inferiora entis; non autem rationes illas particulares, in quibus differunt: sed voces expressiue sunt conceptuum formalium: ergo datur vnus conceptus formalis entis. Maior probatur primò, quia si vox ista, *ens*, significaret rationes distinctiuas substantiæ, & accidentis, statim ac scimus aliquid esse ens, sciremus esse substantiam, vel esse accidentem, cum per te nihil significet aliud: sed multa scimus esse entia, & tamen ignoramus an sint substantiæ, an accidentia: ergo ens non significat immediatè substantiam & accidentem. Imò si ens significat substantiam & accidentem, quoties dicitur, *Substantia est ens*, diceretur substantia & accidentem, vel certè nihil diceretur nisi quod sit substantia; ens enim immediatè non significat nisi substantiam: in hac propositione, *Substantia est ens*, ens non significat accidentem: ergo non significat nisi substantiam; & sic identica est propositio. Deinde, si conceptus formalis entis multiplex est, includens rationes omnes inferiores entis, sequitur debere illos conceptus esse infinitos; tot enim essent, quot sunt inferiora entis, cum non sit maior ratio vnus, quàm alterius.

Vnitatis conceptus obiectiuus.

Dico secundò, dari etiam vnum conceptum obiectiuum entis, præcisum ab omnibus inferioribus: id est audito nomine entis, formatur conceptus de

A ratione vna obiectiuâ, quæ vno conceptu cognoscitur.

Ratio est primò, quia experientiâ constat, nos audito nomine ipsius entis, concipere vnam aliquam realitatem, quæ non sit explicite substantia, nec accidens; cogito enim id quod habet essentiam non cogitando quod sit substantia, vel accidens: ergo datur vnus conceptus obiectiuus entis. Probo antecedens. Si quoties dico *ens*, dicerem immediatè substantiam & accidentem, deberem etiam Petrum, Paulum, &c. dicere, & sic infinitos habere conceptus obiectiuos.

Secundò, posse abstrahi rationem vnam entis communem nihil aliud est, quàm concipi posse id in quo conueniunt substantia & accidentem, non cogitatis rationibus in quibus differunt: sed concipi potest id in quo conueniunt, non conceptu eo in quo differunt: ergo potest abstrahi ratio vna communis entis. Probatur minor. Substantia & accidentem magis conueniunt, quàm ens & non ens: sed hoc possumus concipere non conceptis iis, in quibus differunt; sicuti possumus concipere id in quo conueniunt Petrus & Paulus, non concipiendo id in quo differunt: ergo, &c.

Tertio, si nomen entis non significaret rationem obiectiuam vnam, significaret immediatè substantiam & accidentem, vel copulatiue, vel disiunctiue: neutrum dici potest; si enim significaret copulatiue substantiam, & accidentem, quando dicitur, *Substantia est ens*, significaretur, *est substantia & accidentem*: si disiunctiue, igitur cum dico, *Substantia est ens*, significatur, *substantia est substantia, vel accidentem*.

Denique implicat, ut eadem ratio indiuisibilis obiectiuâ concipiatur distinctè simul & confusè: sed cum dico ens, distinctè concipio id quod est, & non distinctè concipio rationem substantiæ: ergo illi sunt necessariò conceptus distincti.

Dico tertio. Conceptus obiectiuus entis in hoc consistit, quod sit habens essentiam realem; id enim est quod significatur nomine ipso entis. Quod ut explicem distinctè.

Obserua primò, ens interdum sumi posse ut nomen participium verbi *sum*, & ita significat existens; connotat enim tempus præsens, significatque idem quod habens existentiam. Secundò sumitur ut nomen verbale, tuncque nullam connotat differentiam temporis, significatque id quod habet essentiam realem, & aptam existere, siue de facto illa existat, siue non. Posteriori hoc modo hic sumitur ens, cuius explicatur conceptus.

Obserua secundò, essentiam explicari posse nobis dupliciter. Primò in ordine ad effectus vel proprietates, & sic essentia dicitur esse principium primum proprietatum, quæ rei conueniunt; sic enim essentia est propria rei cuiuslibet naturæ. Secundò in ordine ad nostrum intelligendi, & loquendi modum; sicque dicimus essentiam eam esse, quæ per definitionem explicatur, & quod respondetur, quoties queritur, quid res sit; & ita vocatur quidditas.

Obserua tertio, posse quoque dupliciter explicari nomen realis. Primò per negationem aliquam, ut si dicamus illam appellari essentiam realem, quæ in se nullam includit contradictionem, nec est merum figmentum intellectus. Secundò positivè in ordine ad existentiam, & sic eam vocamus essentiam realem, cui aduenire potest existentia, seu actualitas, itavt poni tenerè possit extra causas suas. Patet igitur, quid propriè significet nomen entis, prout differt à re ficta. Hinc

Quæst. II. Sect. II. Concept. entis præscisus. 625

Solutio
primæ du-
bit.

Ad primam distinguitur maior : illud non præscinditur ab inferioribus, quod semper illa includit secundum eam rationem particularem, in qua differunt, concedatur maior; quod semper illa includit secundum rationem communem, in qua conveniunt, negatur maior. Ad minorem : sed conceptus entis semper includit rationes inferiores, secundum eam rationem communem, in qua conveniunt, concedo minorem; secundum eas rationes particulares, in quibus differunt, negatur. Debet enim, ut dixi, in ente quolibet particulari, v.g. in substantia, considerari ratio duplex, una in qua convenit cum accidente, estque v.g. habere essentiam; altera in qua differt ab accidente, & esse per se. Conceptus entis præscisus includit priorem illam rationem, in qua conveniunt; sed non includit posteriorem istam, in qua differunt, ideoque verè præscinditur ab inferioribus, licet inferiora non præscindantur ab eo, ut patebit ex statim dicendis.

Instantia.

Instantia. Ista ratio entis particularis, ut particularis, est reuera ens; sed conceptus entis generalis includit omne quod est ens; ergo conceptus entis generalis includit etiam omnes rationes entis particulares, ut particulares.

Respondetur distinguendo maiorem : ista ratio entis particularis, ut particularis est reuera ens solum in communi, negatur; tum in communi, tum in particulari, conceditur : conceptus generalis entis includit omne quod est ens, præcisè secundum rationem communem; non omne ens secundum rationes particulares.

Solutio
secundæ.

Ad secundam plenè dicitur *sect. 3.* Nunc paucis respondeo, duobus modis posse aliquid præscindi ab inferioribus : primò perfectè, ita ut illud concipiatur ab intellectu, non conceptis inferioribus; & vicissim concipi possint inferiora sine illo : secundò imperfectè, ita ut illud concipiatur ab intellectu non conceptis villo modo inferioribus, sed inferiora tamen non concipi possint sine illo, saltem implicite. Sic ergo ens præscindi potest ab inferioribus; cogitatur enim non cogitatis villo modo inferioribus; sed inferiora tamen concipi nequeunt sine ratione communis entis, saltem confusè concepta, ut docebit sequens sectio.

Ad argumentum igitur concedo primum antecedens, distinguitur consequentia : ergo ens non potest ab illis præscindi perfectè, concedo; imperfectè, nego. Ad probationem eadem distinctio locum habet : implicat aliquid perfectè præscindi ab eo, cui manet coniunctum, concedo; idest si id quod præscinditur, non solum possit cogitari absque inferioribus, sed inferiora etiam sine illo, certè non manet coniunctum; nec implicat aliquid imperfectè præscindi, & tamen coniunctum manere. Diligenter videlicet observandum est, discrimen hoc esse inter distinctionem realem & rationis, quòd realis non possit non esse mutua; si enim Petrus realiter distinguitur à Paulo, Paulus etiam necessariò distinguitur realiter à Petro : distinctio autem rationis non necessariò sit mutua; ens enim distinguitur ratione ab inferioribus, cum tamen inferiora non distinguantur ratione ab ipso ente. Eodem modo reliqua probatio solui potest; quod enim perfectè separatur, non manet coniunctum; quod separatur imperfectè, manere potest coniunctum. Et ex eo, quod ratio particularis, quæ manet præcisa ratione communi, sit ens, sequitur rationem communem entis obiectivam, præcisam non esse nisi imperfectè.

Ad tertiam responsio pendet ex dicendis *sect. 4.*
R.P. de Rhodens curs. Philosoph.

A Ad quartam respondeo, primò quidem rationem communem entis non eodem modo se habere ad inferiora, sicut se habet sapientia ad creatam & incretam; manifestum enim est quod ens est aliquid superius suis inferioribus; sapientiam verò esse aliquid inferius creato & increato. Secundò etiam respondeo, sapientiam in communi, neque ratione, neque realiter distingui à creatà & incretata, sed abstrahere ab utraque. Concedo ens prius dividi debere in creatum, & incretum, quam dividatur in sapientiam; sed nego rationem inferiorum entis, v.g. sapientiam, includere necessariò rationes omnes superiores analogas, in quas dividitur ipsum ens; sufficit enim ut includat aliquam ex illis.

Solutio
quartæ.

SECTIO III.

Quomodo conceptus obiectivus entis descendat ad inferiora, & ab illis contrahatur.

C Communis ratio entis nunquam reperitur solitaria, sed necessariò semper iungitur particulari cuiuspiam rationi entis, per quam propterea dicitur restringi, & contrahi. Quando ergo quaeritur, quomodo ens descendat ad inferiora, sensus est, quomodo communis illa ratio determinetur ad certam aliquam rationem entis; quod ut explicem, tria mihi video ponenda. Primò, vtrum ratio entis contrahatur ab inferioribus per aliquid distinctum realiter : secundò, vtrum contrahatur per aliquid distinctum ratione, seu an differentie includant rationem communem entis : tertio, vtrum contrahatur per modum compositionis, idest, vtrum differentie aliquid addendo contrahant, an verò tantum magis exprimendo id quod communis conceptus confusus dixerat.

S. I.

Vtrum entis ratio communis contrahatur per aliquid distinctum realiter ab ipsa.

D Dicitur, vtrum differentie, quæ determinant ens ad certam aliquam rationem talis entis, sint aliquid superadditum realiter rationi entis, & ab ea distinctum : quâ occasione quaeritur de gradibus eiusdem individui, vtrum inter se differant realiter, an verò tantum conceptu.

Prima dubitatio.

Ratio autem dubitandi est primò, quia illa distinguuntur, quæ possunt separari : sed ratio entis potest separari à ratione substantie; reperitur enim etiam in accidente : ergo ratio entis distinguitur à ratione substantie. Eademque ratio probat, gradus metaphysicos eiusdem individui distingui; nam animalitas, quæ in Petro est, reperitur in brutis.

E Secundò, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se : ratio substantie, & ratio accidentis identificantur realiter cum ente : ergo illæ identificantur inter se. Deinde eadem est ratio entis obiecta intellectui præscindenti, & existens à parte rei in ipso Petro : sed ratio entis obiecta intellectui præscindenti, non includit villo modo differentias : ergo neque illas includit à parte rei. Denique implicat ut aliquid realiter conveniat cum aliquo, & realiter ab eo differat secundum idem à parte rei : sed Petrus convenit cum omnibus rebus à parte rei secundum rationem entis, & secundum alias rationes differt : ergo illæ rationes inferiores à parte rei differunt.

Secundæ.

G G g

Tertio,

Tertia.

Tertio, eadem planè rationes ferè probant distinctionem graduum eiusdem indiuidui, quæ facile possunt applicari. Deinde illa distinguuntur realiter, quibus conueniunt prædicata contradictoria: sed animalitati & rationalitati conueniunt prædicata contradictoria; nam animalitati conuenit esse principium sentiendi, non rationalitati; ergo distinguuntur realiter. Imò si animalitas & rationalitas vnum sunt realiter, de quocumque prædicatur animalitas, prædicari debet rationalitas, & sic equus diceretur esse rationalis.

Ratio entis non est distincta.

Dico primò, rationem entis non distingui vllò modo realiter à differentiis, per quas contrahitur, sed conceptu tantum: v. g. in Petro, esse ens & esse substantiam, non sunt in Petro duo realiter distincta, sed vnum. Ita docet S. Thomas cum sua Schola, contra Scotum & Scotistas, qui distinctionem quandam formalem ex natura rei ponunt, quam tamen negant realem esse, vt constat *diff. 3.*

Probatio.

Ratio est, quia si ratio entis & ratio substantiæ distinguuntur realiter, sequitur quod vna non est alia; idest, sequitur quod ratio entis non est substantia, & quod substantia non est ens: hoc autem absurdum est, quia si substantia non est ens, sequitur quod illa est nihil: ergo in substantia ratio entis & ratio substantiæ non sunt duo distincta realiter. Deinde tota ratio, cur dicantur esse distincta realiter, est quia licet vnā concipere aliā non conceptā: hæc ratio nulla est, quia licet concipere rationem entis non conceptā Deitate; & tamen Deitas non distinguitur à ratione entis, cum qua est realiter vnum.

Gradus metaphysici an sint distincti.

Dico secundò, perfectiones essentielles eiusdem indiuidui, quas gradus vocant metaphysicos, non distinguuntur realiter, sed conceptu tantum. Ita etiam cum S. Thoma fusè probant Suares *disp. 28. sect. 3.* Valques 1. p. *disp. 114. cap. 2.* Fonseca 4. *Metaphys. cap. 2. q. 1. sect. 4.* contra Scotum, & Scotistas.

Probatio.

Ratio est, quia nulla est necessitas ponendi distinctionem realem inter illos gradus; sola enim diuersitas definitionum non sufficit ad ponendam realem distinctionem; iustitia enim & misericordia Dei diuersas habent definitiones; & tamen illæ sunt indistinctæ: sed sola diuersitas definitionum dicitur esse causa distinctionis inter hos gradus: ergo nihil est necesse ponere talem distinctionem. Deinde, si gradus substantiæ, qui est in lapide, posset esse in Angelo, sequeretur vel quod lapis non est purè materialis, vel quod Angelus non est purè immaterialis.

Solutio primæ dubitat.

Ad primam respondeo, non probari eo argumento, nisi quod ratio entis, quæ est in accidente, distinguitur à parte rei ab ente quod est in substantia; hoc autem esse certissimum: non probari quod ens, quod est in substantia Petri v. g. distinguatur à substantia Petri; ab ea enim nulla vi separari potest. Idemque dico de perfectionibus eiusdem indiuidui; animalitas enim, quæ inest Petro, non potest esse in bruto, vnde illa distinguitur à bruto: sed animalitas Petri non distinguitur à rationalitate ipsius Petri.

Solutio secundæ.

Ad secundam respondeo, inferiora entis non identificari vni tertio; quia licet inferiora entis singula identificentur cum ratione entis quam habent, non tamen plura eidem rationi entis identificantur, sed diuersis. Deinde distingo illam maiorem: ratio entis obiecta intellectui præscindenti, & à parte rei existens, eadem est adæquatè, nego; eadem est inadæquatè, concedo; idest ratio entis

A à parte rei existens in Petro non obicitur intellectui præscindenti secundum omnia illa quæ dicit, vel quæ includit à parte rei existens; nam à parte rei existens dicit rationem substantiæ, quam non dicit prout obicitur intellectui. Vnde distingui etiam potest minor: sed ratio entis obiecta intellectui non includit differentias prout substat præcisioni, concedo; prout est à parte rei, nego. Denique falsum est, quod additur, esse impossibile vt aliquid secundum idem realiter conueniat cum aliquo, & ab eo differat, modò non differat secundum idem formaliter. Ratio est, quia si eadem res, quæ fundamentum est conuenientie, non esset etiam fundamentum disconuenientie, omnis conuenientia, seu similitudo esset identitas: nam vt similitudo non sit identitas, debet in aliquo conuenire, in aliquo differre.

B Ad tertiam respondeo, sæpe dictum esse, quod prædicata contradictoria conuenire possunt eidem realitati secundum diuersas formalitates, non ratione eiusdem. Neque verum est, quod rationalitas possit prædicari de quocumque potest prædicari absolute animalitas; nam de equo non prædicatur animalitas, quæ est in homine, sed alia diuersa; idè de illo non potest dici rationalitas.

§. II.

Utrum ratio entis contrahatur per differentias, in quibus includatur formaliter.

C Ratio ergo entis, vt dixi, realiter includitur in differentiis, per quas determinatur ad certum aliquod genus entis. Sed difficultas maior est, utrum etiam formaliter illam includant; idest, utrum sicut ratio entis cogitari potest sine differentiis contrahentibus, ita differentia possint cogitari sine ratione communi entis.

D Ratio dubitandi est primò, quia si perfectas includit formaliter rationem entis, conuenit cum aliis differentiis per quas contrahitur ad alia summa genera, & ab iisdem disconuenit, quia facit differre substantiam à quantitate, qualitate, &c. Consequens illud falsum est, quia perfectas ita esset resoluibilis in duos conceptus; vnum in quo conuenit, alterum in quo disconuenit: sed perfectas non est resoluibilis in duos conceptus, quod probatur. Substantia dicit necessariò plus aliquid quam perfectas; totum enim maius est sua parte: sed si perfectas resoluatur potest in duos conceptus, substantia nihil dicit quod non dicat perfectas, cum utraque dicat rationem entis: ergo perfectas non est resoluibilis in duos conceptus.

E Secundò, si perfectas in ratione entis conuenit cum aliis, & differt per alteram rationem, dabitur processus in infinitum quando resoluentur conceptus; si enim præscindatur id in quo perfectas conuenit, adhuc manebit aliquis conceptus, quo differt ab iis, quæ non sunt perfectas: rursus autem quæretur, an in isto conceptu includatur ratio entis, an non; sicque in infinitum progressi licebit. Imò sic substantia conuenit cum accidente formaliter per idem, in quo disconuenit.

Tertio: idè conceptus differentiarum entis dicitur non præscindere à conceptu entis, quia confusè illum includit: sed conceptus entis confusè includit conceptum perfectatis; attributa enim superiora confusè continent sua inferiora: v. g. genus cum abstrahatur abstractione vniuersali, necessariò est aliquod totum confusum: ergo si differentia entis non præscinduntur ab ente, conceptus etiam

etiam entis non præcindetur à differentiis contrahentibus.

Differentia includent ens. Dico primò, ens includi essentialiter in omnibus differentiis à quibus contrahitur, & generatim in omnibus suis attributis; siquæ differentia per quas ens determinatur, non præcinduntur ab ente. Communis sententia est Doctorum apud Suarezem *disp. 2. sect. 5. n. 16.*

Probatio. Ratio est, quia illud essentialiter & formaliter includit rationem entis, cuius conceptus obiectivus, prout respondens apprehensioni, aliquam includit realitatem, seu aliquam essentiam non merè fictam; hæc enim est ratio entis: sed omnis differentia contrahens rationem entis in suo conceptu obiectivo aliquam includit realitatem, cum non sit merum nihil: ergo quælibet differentia entis in suo conceptu includit rationem entis. Deinde differentia illa entis, quæcunque sit, habet aliquos effectus & proprietates reales: hoc est habere rationem entis: ergo quælibet differentia entis includit formaliter rationem entis.

Denique si differentia istæ non esset formaliter ens, essent ut sic merum nihil, neque differentia à chimæra.

Includunt confusè. Dico secundò, differentias contractivas entis, v. g. perfectitatem; non continere distinctè, sed confusè tantum rationem entis, adeò ut conceptus eius non sit multiplex resolvable in duos conceptus distinctos; sed vnicus resolvable in conceptum confusum, in quo convenit cum aliis; & distinctum, in quo disconvenit.

Probatio. Ratio est illa, quæ opponebatur, quia si perfectitas includeret distinctè ac explicitè rationem entis, diceret totum illud quod dicit substantia, cuius tamen est veluti pars; differunt ergo ambæ, quod substantia duos dicat conceptus distinctos, in quos resoluatur, nempe continet distinctè conceptum entis, & conceptum perfectitatis; perfectitas autem sit vnicus conceptus irresolvable, ex eo quod confusè tantum dicat conceptum entis, conceptum autem perfectitatis distinctè. Vnde

Solutio primæ dubit. Ad primam clara responsio est, perfectitatem cum se habeat ad modum differentia, simplici quodam conceptu distincta, concipi adæquatè; substantiam verò cum sit aliquod totum conceptum, habere duplicem conceptum omnino distinctum.

Instantia. Instabis conceptus ille distinctus perfectitatis ut sic, necessariò est ens, cum non sit explicitè purum nihil: ergo ille conceptus perfectitatis est resolvable in plures conceptus distinctos.

Respondeo conceptum illum perfectitatis ut sic, esse necessariò ens confusè, non esse necessariò ens distinctè; neque hinc sequitur, quod sit purum nihil, nam ad hoc sufficit ut confusè includat rationem entis.

Solutio secundæ. Ad secundam respondeo, non dari processum infinitum in conceptu differentiarum entis, quia regula est receptissima, quod in faciendis resolutionibus, quoties sit progressus ad aliquid eiusdem rationis, sistendum est in primo quo, idest in eo à quo cæpit fieri progressus, ut probabitur deinceps in pluribus exemplis. Quoniam igitur perfectitas, prout nostro modo intelligendi distinguitur ab ente, ipsamque contrahendo constituit substantiam, se habet ut quo, idest ut constitutum, sistendum in ea est, & dicendum perfectitatem esse seipsam ens & perfectitatem, atque secundum eundem conceptum simplicem habere rationem convenientiæ, ac disconvenientiæ ab

R. P. de Rhodæ curs. Philosoph.

aliis modis, quibus ens contrahitur. Quemadmodum differentia simplicissima, quam in aliqua re possumus imaginari, secundum vnum eundem conceptum suum convenit cum aliis differentiis in eo quod sit differentia, & disconvenit in eo quod sit talis differentia, non autem plures conceptus, alioqui procederet in infinitum. Eodem modo dicendum est, perfectitatem, quæ est id quo ratio entis determinatur ad substantiam, & quo substantia differt ab accidente, vno, eodemque simplici conceptu suo determinare posse ens ad seipsam, & seipsam constituere ac distinguere ab omnibus aliis; siquæ cessat processus in infinitum.

B Ad tertiam respondeo, ens non contineri eodem modo in perfectitate, quo perfectitas continetur in ente; nam in conceptu proprio perfectitatis ratio entis actualiter includitur, etiam ut perfectitas subest conceptui nostro ipsam distinctè apprehendenti; quia non possumus illam concipere, nisi sub aliqua ratione realitatis: idè perfectitas includit actualiter rationem entis, sed confusè. At verò ens, & quæcunque ratio superior abstracta continet inferiora sua confusè, potestate tantum, non actu; ita ut de illis nullo modo tunc cogitur actu, quando cogitur communis ratio entis: v. g. si explicetur, quid significet ratio illa entis, non dicetur quod significet substantiam. Si verò explicetur quid significet perfectitas, dicitur quod significat ens quod in alio non existit. Igitur licet à parte rei, sicut rationes superiores includuntur in inferioribus, sic rationes inferiores in superioribus includantur, seu potius vnum sint indistinctum; nostro tamen modo intelligendi rationes superiores non includunt inferiores nisi potentia, eo modo quo dicunt Dialectici, quod genus potentia tantum includit species, quia intellectus actu concipiendo genus, v. g. animal, non debet actu cogitare de speciebus, v. g. de homine & bruto; sed confusè tamen & potentiali quodam modo attingit hominem & brutum cogitando animal; quia ea ratione cogitat animal, quæ animal est in potentia, seu in quadam indifferencia ut contrahatur per rationale ad hominem, vel per irrationale ad brutum; & hæ ipsæ differentia potentia quadam continentur in animali, quatenus illi ipsi supposito, cui convenit animalitas distinctè cogitata, convenit etiam rationalitas, vel irrationalitas; quod suppositum confusè apprehenditur dum apprehenditur animal, sicut materialiter & identice significatur nomine animalis.

Solutio tertiæ.

§. III.

Utrum ratio entis contrahatur à differentiis per modum compositionis.

Dupliciter perfectitas v. g. intelligi potest contrahere rationem communem entis. Primò addendo aliquid communi illi rationi, quod contentum non erat in conceptu communi; hoc est contrahere per modum compositionis. Secundò nihil addendo communi huic conceptui, quod ille non diceret, saltem implicite; sed tantum explicite dicendo, quod ille dicebat confusè; quod est contrahere per expressiores conceptus. Difficultas igitur est, utrum priori eo modo ens contrahatur, an verò posteriori.

Ratio autem dubitandi primò est, quia pars non potest esse totum; sed si differentia inferior con-

Contrahi per modum compositionis.

Prima dubitatio.

G G g 2 trahat

eratur ens per modum compositionis, pars erit totum, ut patet: ergo ens non contrahitur à differentiis per modum compositionis. Deinde sequeretur substantiam bis includere rationem entis; includit enim illam speciali aliquo modo, quo eam non includit perfectas; & includit præterea perfectitatem, in qua ratio entis includitur.

Secunda. Secundò si ens contrahitur per veram compositionem, sequitur ens in abstracto non posse prædicari de omnibus inferioribus, etiam abstractè sumptis: hoc falsum est, quia rectè dicitur, *perfectus est entis*; & cum tamen dici, nequeat *rationalitas est animalitas*.

Tertia. Tertiò saltem valebit hæc prædicatio, *Humanitas est animalitas*; quia animalitas includitur in humanitate, sicut entitas includitur in perfectitate.

Dico tertiò, ens contrahi ad inferiora per modum compositionis metaphysicæ imperfectæ, non autem per conceptum solum expressiorem. Contra Suarem; qui censet ens contrahi ad substantiam eo tantum, quod conceptus ille confusus sit conceptus expressus. Sed sane non video, quomodo stare hoc possit cum eo quod ipse docet Suares, ens ita præcindi ab inferioribus, ut conceptus eius obiectivus illa non includat: hic autem asserit conceptum eius obiectivum esse conceptum confusum omnium inferiorum.

Probatio. Ratio ergo est, quia tunc est vera compositio metaphysica, quando totum aliquod resolvi potest in duos conceptus, quorum unus superaddit aliquid quod non est contentum in conceptu alterius: sed substantia resolvi eo modo potest, cum conceptus entis, ut probatum est, ita præcindatur à conceptu perfectitatis, ut nullo modo illum includat: ergo manifestum est quod ens contrahitur à suis differentiis per modum compositionis, non autem per expressos tantum conceptus.

Addebam autem illam esse compositionem metaphysicam, in qua scilicet partes componentes sola ratione distinguuntur, cum tamen in compositione physica distinguantur realiter. Deinde imperfecta duntaxat est, quia compositio metaphysica, alia perfecta est, cuius neutra pars alteram includit; sic enim homo componitur ex animali, & rationali: alia est imperfecta, in qua duæ sunt partes conceptu distinctæ; sed ita ut una pars includat saltem confusè alteram. Patet autem, quod ens contrahitur per differentias sola ratione distinctas, in quibus formaliter confusè includitur.

Solutio primæ dubitationis. Ad primam respondeo verum esse quod in compositione perfecta pars nullo modo est totum; in compositione imperfecta una pars est confusè totum. Deinde dico substantiam non nisi semel includere rationem entis, quia perfectas quando sola est, includit quidem rationem entis confusè; quando autem non est sola & præcisa, tunc non includit amplius rationem entis confusè, sed distinctè; cum eo ipso quod est in ipsa substantia, ratio entis illi adueniat distincta.

Solutio secundæ. Ad secundam respondeo, discrimen esse inter prædicatum *ens*, & alia omnia prædicata, quia ens transcendens est, idest includitur in conceptu cuiuslibet differentie inferioris, siue illa sumatur concretè, siue abstractè. Cum ergo rationalitas v. g. includat formaliter saltem confusè rationem entis & entitatis, rectè dicitur, *Rationalitas est ens*, vel, *est entitas*. Alia verò prædicata generica, licet contineantur in suis inferioribus secundum rectam lineam categoriæ subiectis, quan-

do sumuntur concretè, non continentur tamen in illis abstractè sumptis; idè malè diceretur, *Animalitas est rationalitas*; significaret enim quod conceptus animalitatis includeretur in conceptu formali rationalitatis; quia nomina abstracta sumi debent in sensu formali, cum significant ipsas formas.

Ad tertiam respondeo, prædicationem hæc, *Humanitas est animalitas*, non mihi videri bonam, quia in ea animalitas significatur purè ut pars, que nimirum à rationalitate præcisa & quasi separata sit; quod autem prædicatur, debet prædicari ut totum quoddam, idest significari per modum totius. In eoque differt entitas ab animalitate, alii, que prædicatis quibuscumque; quia cum entitas includatur in omnibus rationibus inferioribus, etiam abstractis, non potest se habere per modum parte partis; semper enim includetur in quibuscumque aliis comparibus; & ita verum est dicere, *Humanitas est entitas*; quia quicquid est in humanitate, includit entitatem. Secundò tamen, licet vera esset hæc propositio, *Humanitas est animalitas*, quam multi approbant, adhuc tamen ens differret ab aliis attributis genericis, quod non tantum liceat dicere, *Humanitas est entitas*, sed etiam, *humanitas est ens*. Quamvis autem dicere liceat, *Humanitas est animalitas*; dicere tamen non licet, *Humanitas est animal*; quia videlicet ens non plus dicit, quam entitas, sed voce tantum differunt, quatenus una est abstracta, altera concreta. Animal autem plus dicit quam animalitas, cum dicat suppositum & naturam; quam ultimam solum dicit animalitas.

SECTIO IV.

Utrum ille conceptus entis sit univocus ad inferiora, an verò analogus.

Supposita præcissione conceptus entis, in quibus tamen continetur confusè saltem, adhuc disputatur, utrum ille conceptus respectu eorum inferiorum ad quæ descendit, dici debeat univocus, an verò analogus; quod enim æquivocus non sit, omnibus compertum est. Univocus erit si conceptus ille communis & præcisius ipsius entis non solum commune nomen habeat, sed etiam rationem communi nomine significatam omnino eandem. Erat analogus, si commune quidem habeat nomen, sed rationem substantiæ significatam eo nomine partim eandem, & partim diversam. Univocum esse volunt Scotistæ cum Magistro suo, quibus accessere pauci Recentiores. Etsi analogum contendunt Thomistæ, quos plures sequuntur Doctores: quam ego controuersiam esse opinor de sola vocum significatione.

Ratio tamen dubitandi primò est, quia licet conceptus entis sit de conceptu substantiæ, tamen conceptus substantiæ non est vilo modo de conceptu entis: ergo non potest conceptus entis fieri analogus per conceptum substantiæ. Probatur consequentia. Nulla res fieri potest quidditative diversa per id quod est extra ipsius quidditatem; quia fieri quidditative diversum, est fieri diversum intrinsecè: sed conceptus substantiæ non est de quidditate ipsius entis, cum sit extra illum: ergo conceptus entis non potest fieri analogus per rationem substantiæ, à qua planè abstrahit.

Secundò univoca illa sunt, quorum idem est nomen

nomen & ratio significata per nomen est omnino eadem: ratio entis ut abstracta, huiusmodi est; ergo est uniuoca. Probatur minor: illud est omnino idem, quod nullas differentias includit: ratio entis præcisa, prout significata ipso nomine entis, nullas includit differentias: ergo, &c. Illud enim non facit rationem entis analogam, quod in ratione communi entis non includitur. Imò id quod est incompletum, non continet id quod est completum: entis differentie incompletæ sunt, & contrahunt ens completum: ergo non continent ipsum ens, quod est completum.

Tertia. Tertiò vel ens est analogum propter dependentiam unius inferioris ab altero, accidentis videlicet à substantia; vel propter transcendentiam, quia scilicet in differentiis includitur: neutrum videtur posse dici. Non enim propter dependentiam est analogum, cum independentia illa & dependentia sint differentie contrahentes, quas conceptus communis non continet. Non propter transcendentiam, quia ut ratio entis ut præcisa sit omnino eadem, satis est quod in statu præcisionis nullo modo sit diuersa: sed quamuis ratio entis contracta contineatur in inferioribus, tamen in statu præcisionis non est diuersa vilo modo: ergo licet ratio entis includatur in inferioribus ut contracta, ratio tamen entis ut præcisa est omnino eadem.

Ens esse analogum. Dico primò, ens analogum esse ad omnia sua inferiora, non esse autem vilo modo uniuocum.

Aristotelis testimonia. Primò enim sic omnino asserit Aristoteles in plerisque locis Metaphysicæ, v. g. *lib. 8. textu 8. lib. 10. textu 8.* ait ens non esse verum genus respectu suorum inferiorum; si autem esset uniuocum, esset haud dubiè verum genus; quid enim ei deesset? Deinde *lib. 4. c. 2.* ait ens dici de substantia & accidente, sicut sanum dicitur de animali & medicina: patet autem sanum respectu animalis & medicinæ analogum esse.

Ratio diuisa est. Secundò tamen ratio quæ probatur entis analogia, non eadem ab omnibus iis assertur, qui eam asserunt; petitur enim ab aliis ex dependentia, quia scilicet ratio entis conuenit substantiæ independententer ab accidente; accidenti autem dependententer à substantia; unde fit ut ens prius exigat participari ab vno inferiori quàm ab alio, & ita sit partim idem, partim diuersum & analogum. Alij autem rationem hanc petunt à transcendentia, quia scilicet ens licet præcindatur ab inferioribus, semper tamen in inferioribus includitur; unde fit ut ratio entis ut abstracta sit eadem, ut contracta verò diuersa sit, atque adeò analogà.

Non probatur ex dependentia. Dico secundò, non rectè probari ex independentia unius ab alio, quod ens sit analogum, non uniuocum. Ita rectè docent Hurtadus & Arriaga.

Ratio. Ratio est, quia illud non efficit rationem entis præcisam esse analogam, quod non includitur vilo modo in ratione communi & præcisa ipsius entis; sed dependentia illa unius inferioris ab altero non includitur in ratione communi entis præcisa: ergo nullo modo facit rationem communem entis analogam. Maior patet; quomodo enim aliquid potest efficere conceptum aliquem obiectiuum analogum, si non in eo includatur; alioquin rationale faceret analogum esse animal, etiamsi non in eo includatur ut præciso. Minor probatur; si enim conceptus communis entis omnino præciscus includeret dependentiam & independentiam

R. P. de Rhodes ens. Philosoph.

A suorum inferiorum, non præcinderetur ab inferioribus; si enim ab illorum differentiis præcinderetur, implicat ut eas includat: ostensum autem est nuper ens ab inferioribus præcindi. Deinde probatur eadem minor. Ratio entis ut abstracta est ratione nostra indifferens ut contrahatur ad Deum aut ad creaturas; ad substantiam vel ad accidens; imò illa eadem quæ contracta est ad Deum, potuit contrahi ad creaturas: ergo illa ratio abstracta non includit dependentiam, & independentiam.

B Dices, rationem illam entis præcisam non includere quidem dependentiam, & independentiam; sed exigere ut quando contrahatur ad Deum, sit independentens; & quando contrahatur ad creaturas, sit dependens: non potest autem aliqua ratio esse uniuoca vel analogà nisi in descensu.

C Sed contra; redit enim argumentum. Illud non efficit conceptum communem entis analogum, quod in eo non includitur: sed illa exigentia non includitur in conceptu communi entis: ergo illa exigentia non facit ut conceptus communis entis sit analogus. Deinde sequeretur eodem modo animal esse analogum; quia licet in conceptu præciso non includat hominem aut brutum, exigit tamen ut quando contrahatur ad hominem, sit præsentius, quàm quando contrahatur ad brutum: ergo illa exigentia non facit ut ens sit analogum, quia in conceptu communi non includitur: quando autem dicitur, rationem communem non esse uniuocam vel analogam, nisi in descensu ad inferiora, verum est si significet rationem communem esse uniuocam respectu inferiorum confusè conceptorum prout conueniunt in ratione communi, non autem prout concipiuntur distinctè; quia sic illa differunt, sicque nullà ratio esset uniuoca.

Altera etiam ratio est, quia si ratio hæc valeret, sequeretur ens esse uniuocum respectu nouem categoriarum accidentalium; quia non conuenit vni dependententer ab altero, & respectu hominis ac equi.

D Dices: Ens eo modo est participabile ab inferioribus, quo ab illis participatur: sed ab illis participatur inæqualiter: ergo est inæqualiter participabile. Respondeo rationem entis ut præcisam æqualiter participari ab inferioribus, quia ut præcisa non cognoscitur nisi secundum rationem conuenientiam; si enim conciperetur secundum rationem disconuenientiam, non conciperetur ut præciscum ab inferioribus.

E Dico tertiò, ens esse analogum ad sua inferiora propter transcendentiam, id est, quia licet præcindatur à differentiis inferioribus, differentia tamen formaliter & intrinsecè includunt rationem entis, neque ab ea possunt præcindi.

Probatur primò, quia illa ratio communis non est uniuoca, in qua formaliter sumpta inferiora conueniunt & differunt: sed inferiora entis conueniunt & differunt in formalissima ratione entis, quæ includitur in conceptu formali omnium differentiarum entis: ergo ratio entis, quæ formaliter includitur in omnibus differentiis, non est uniuoca. Minor probatur: Inferiora entis, verbi gratia substantia & accidens, differunt per se & in hærentiâ: perfectas & in hærentia sunt formaliter ens: ergo substantia & accidens differunt in ratione formali entis, & in ea etiam conueniunt sumpta in communi & præcisa: ergo inferiora entis conueniunt & differunt in formalissima ratione entis.

G G 3 Itaque

Itaque conceptus transcendens in eo differt à conceptu non transcendente, quod conceptus transcendens cum includatur formaliter in omnibus differentiis, habet in illis eandem formalitatem & denominationem, quam habet in statu præcisionis; idem substantia differt ab accidente per conceptum, qui verè denominatur ens. Conceptus verò non transcendens, cum non includatur in suis differentiis, non eandem habet in illis formalitatem & denominationem, quam habet in statu præcisionis; idem verum non est quod rationale & irrationale differant in aliquo quod formaliter sit animal, cum rationalitas & irrationalitas non sint formaliter animalitas.

Ens igitur analogum est, quia eius inferiora differunt per formalissimam rationem entis, id est per aliquid quod formaliter est ens; unde argumentor. Substantia & accidens non conveniunt uniuocè in communi ratione entis, si non eodem modo conveniant in ea ratione communi, quo conveniunt in ratione communi animalis rationalis & irrationalis: sed substantia & accidens in ratione communi entis non conveniunt eo modo, quo rationale & irrationale conveniunt in ratione communi animalis, cum rationale & irrationale non differant in illo quod sit formaliter animal: ergo substantia & accidens non conveniunt uniuocè in ratione communi.

Eualio.

Dices, substantiam & accidens differre quidem in ratione communi entis ut contracta, non differre autem in ratione communi entis ut præcisa; atque adeo illam rationem communem ut præcisam non esse analogam, sed uniuocam.

Sed contra; nam ut aliqua ratio sit uniuoca, necesse est ut eandem habeat formalitatem contracta & abstracta, id est ut contractio fiat per formalitatem adæquatè distinctam à ratione communi; atque adeo ut formalitas contrahens non includat rationem illam quæ contrahitur; sic enim ratio illa communis non habet essentialem dissimilitudinem, cum in utroque statu eadem sit. At verò transcendentia facit dissimilitudinem, quia illa met formalitas, quæ fuerat abstracta, dissimilitudinem essentialem habet in suis differentiis, in quarum conceptu includitur; unde illa ratio partim eadem est, quia omnia inferiora entis habent conceptum entis; partim diversa, quia illomet conceptu differunt substantia & accidens. Idem,

Altera probatio.

Argumentor secundò. Tunc aliqua ratio est partim eadem, partim diversa, quando in statu abstractionis est eadem, in statu verò contractionis est diversa: illa ratio quæ formaliter includitur in suis differentiis huiusmodi est: ergo illa ratio quæ formaliter includitur in suis differentiis est partim eadem, partim diversa. Maior ex eo patet, quia in omnibus uniuocis videmus quod ratio communis, tum in statu abstractionis, tum in statu contractionis eadem est formaliter; nam animalitas v.g. etiam provt contracta ad hominem & brutum, non est diversa formaliter; quia non includitur formaliter in conceptu suarum differentiarum. At verò ens ut contractum ad substantiam formaliter diversum est à ratione entis contracta ad ipsum accidens, quia ens formaliter includitur in differentia substantiæ, & in differentia accidentis.

Denique illa ratio non est uniuoca, quæ non eodem planè modo participatur: illa ratio quæ includitur formaliter in suis differentiis, non eodem modo participatur, cum sit diversa formaliter provt participatur: ergo illa non est uniuoca. Nam differentia entis secundum se tota sunt entia: sed

illæ differentia secundum aliquid sui differunt: ergo illæ differunt formaliter in ratione ipsa entis.

Ad primam respondeo concedendo substantiam non esse de conceptu entis sumpto in statu abstractionis, sed esse de conceptu entis in statu contractionis. Ad illam ergo maiorem: nulla res fieri potest quidditatiè diversa per id, quod non est de illius quidditate, in statu tum abstractionis, tum contractionis, concedo; quod non est de illius quidditate tantum in statu abstractionis, nego. Nam ratio uniuoca debet esse omnino eadem in utroque statu.

Ad secundam eadem responsio locum habet: uniuoca est illa ratio, quæ omnino est eadem, tum abstracta, tum ut contracta; id est, quæ nullas includit differentias tum in statu abstractionis, tum in statu contractionis. Similiter illud non facit rationem entis esse præcisam analogam, quod non includitur in ratione entis præcisa, negatur, si formaliter includatur in ea ut contracta. Hoc autem argumento usus sum nuper adversus eos, qui negant transcendentiam esse causam analogiæ, neque potest illis mea responsio esse usus.

Ad tertiam liquet responsio ex dictis in tertia conclusione.

QVÆSTIO II.

De essentia, existentia, & possibilitate entis.

Non potest adæquatè intelligi conceptus entis realis, de quo dixi hæcenus, donec tria illa de ipso explicentur, in quibus tota versatur realitas; earum autem recta intelligentia tria exigit: primò, an & qualis sit distinctio inter essentiam & existentiam; secundò, an & qualis sit actualitas essentia ab æterno; tertio, quid sit rerum possibilitas ante ipsam existentiam.

SECTIO I.

An sit aliqua distinctio inter essentiam & existentiam.

Errum est primò, proprium essentia conceptum esse, sicuti nuper posui, ut sit res ipsa, quatenus definitione aliqua explicabilis est; siue id, quod est radix, & fundamentum omnium proprietatum, quæ sunt in aliqua re. Conceptum autem existentia proprium esse ut sit forma metaphysica, quæ res formaliter transit à statu possibilitatis ad statum propriæ actualitatis; siue brevis, ut sit ipsa rei actualitas. Primò dicitur forma, quia concipitur advenire ipsi essentia, & eam determinare; non est tamen physica quædam forma, cum non distinguatur realiter ab essentia, ut mox dicam; sed concipitur tamen tanquam actuans & determinans essentiam ipsam rei. Dicitur deinde, quia res formaliter transit à statu possibilitatis, ut distinguatur à causa efficiente, quæ constituit rem extra statum possibilitatis efficienter duntaxat; existentia verò constituit formaliter, quia tribuendo seipsam, & intrinsecè rem afficiendo, ponit eam extra statum possibilitatis. Quid autem sit huiusmodi status, dixerunt scilicet 3. Nunc satis est scire, illum esse statum, in quo sunt creaturæ antequam producantur; sicuti status actualitatis est is, in quo sunt creaturæ postquam sunt productæ, & nondum sunt